



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE DEUS CORDIS VENERABILIS DEI SERVA LAURA VICUÑA IN BEATORUM CATALOGUM REFERTUR Ad perpetuam rei memoriam. – «Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum... » (Ps 73, 26). Hoc Psalmistae desiderium, inexpugnabili nitens soliditate Dei potentiae, mirabiliter vim exprimit optatorum quibus iuvenilis animus Laurae Vicuña redundabat, quae nempe veritatibus divinis illuminata per catechesim susceptis sere omnino laeteque promptam reddidit ad gratiae divinae actionem, ut amore cresceret suique donandi studio usque ad extremum vitae sacrificium propter salvificum aliquod propositum plane nobilissimum. In urbe orta est Sancti Iacobi Chiliae quinto die mensis Aprilis anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo Iosephi Dominici ac Mercedes Pini filia primogenita; quo eodem anno apud paroeciale Sanctae Annae templum est lavacro salutari renata. Rerum politicarum conversiones patrem coegerunt ut ab urbe principe recederet ubi seditio popularis diffundebatur. Temuci in meridionali nationis parte inopinatus patris obitus tribus post annis Lauram una cum minore natu sorore orbavit. Postea par-va familia se in Argentinam contulit ubi materfamilias, opere passim con-quisito, in villa consedit cuiusdam agricolae filiasque suas novem annorum Lauram eiusque sex annorum sororem Filiabus concredit Mariae Auxiliatricis, quae eundem circiter locum aperuerant paulo ante ludum-ephebeum parvum in missione Patagonica «Junín de los Andes» appellata. Hic decem annos nata primam Communionem accepit Laura; quo etiam tempore Deum oravit ut ducere sciret «amoris mortificationis sacrificii vitam»: cupiebat enim compensationem pretiumque solvere tot pro peccatoribus in primisque pro matre quae interea cum crudeli vilico consuetudinem inierat indigni amoris. In ephebei illius condicionibus Laurae animus spiritalibus doctrinis repletus alacrique vitae christianae officio se recludit ac maturuit per intentam Dei amicitiam et voluntatem ipsi in omnibus satis faciendi ex fidelitate erga simplicia vitae cotidianae munia. Ex gratiae vita, quam sacramenta nutriunt, ipsa constans effecta sibi que donorum conscia Spiritus Sancti per confirmationem Sacram perceptorum mordicus Laura adversata est invitamentis sibi a matris patrono oblatis ut villam ingrederetur intusque in animo voluntatem fovit sese Deo totam dedendi. Confessarii dein impetrata licentia, castitatis paupertatis oboedientiaeque privata nuncupavit vota ac paucis post mensibus omne quod suum maximi pretii habebat id Domino suo concredit, suam hoc est iuvenilem vitam ut matris assequeretur conversionem: ei namque Evangelii pagina de bono Pastore praebebatur veluti appellatio cui resisti non potent. Hostia a Deo recepta est peractumque eius sacrificium vix duobus annis. Die enim vicesimo secundo anno millesimo nongentesimo quarto nondum tredecim nata annos mortua est plane morbo confecta, postquam secretum suum consilium matri exposuerat suae muneris vitae ab eaque impetraverat sollemni modo morum promissam commutationem. Cui pollicitationi stetit mater quoniam ipso Laurae funeris die cum Deo est conciliata atque sacramentorum virtute perseverare potuit in christiana vita. Cum sanctimoniae persisteret fama, qua Dei Serva fruebatur, apud Curiam episcopalem Viedmensem anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quinto initium causae canonizationis factum est omnibusque deinceps rite expletis, quae iure postulabantur, et inquisitionibus theologicis feliciter exactis Nobis coram die quinto mensis Iunii anno millesimo nongentesimo octogesimo sexto decretum prodiit quo Lauram Vicuña professi sumus virtutes theologales cardinales

adnexasque heroum in modum exercitavisse. Postmodum vero apud Curiam archiepiscopalem Sancti Iacobi Chiliae processus est canonicus institutus de asserta mira sanatione eadem in urbe anno millesimo nongentesimo quinquagesimo octavo patrata et eiusdem Venerabilis Dei Servae deprecationi tributa. A peritis proin Congregationis de Causis Sanctorum causa est ponderata, prius a Consilio Medicorum dein a theologis consultoribus ac postremo a Cardinalibus et Episcopis. Quibus cunctis prorsus adsentientibus Kalendis Augustis anno millesimo nongentesimo octogesimo octavo decretum foras edidimus super miro. Ritus autem beatificationis constituimus ut proximi mensis Septembris tertio die Augustae Taurinorum celebraretur, cum ibidem visitationem Nostram pastoralem exsequeremur. Hodie igitur praesidentes Nos sacris sollemnibus in Colle Sancti Ioannis Bosco ante interminatam ferme christifidelium multitudinem e familia maxime Salesiana, hanc ediximus formulam: «Noi, accogliendo il desiderio del nostro fratello Miguel Esteban Hesayne, vescovo di Viedma, di molti altri Fratelli nell'episcopato, e di molti fedeli, dopo avere avuto il parere della Congregazione per le Cause dei Santi, concediamo con la nostra Autorità Apostolica che la Venerabile Serva di Dio Laura Vicuña d'ora in poi sia chiamata Beata; e che si può celebrare la sua festa, nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno nel giorno della sua nascita al cielo: il 22 gennaio. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo». Consueta denique habita oratione de vita eius singillatim virtutibusque, novensilem Beatam primi Ipsi sumus venerati summaque pietate invocavimus. Litteras autem hasce Apostolicas volumus tam nunc quam in posterum firmas esse suosque plane sortiri effectus. *Datum Augustae Taurinorum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Septembris anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana
